



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Peccat ne Daudid, cum ait, Perfecto odio oderam eos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

que pugnat cū ἐπιχειρία, implacabilitas, ἀσογ-
γία. Non esse misericordem. Gaudere in alienis
malis. Non affici alienis bonis aut malis.

Peccat ne **D**avid, cum ait, **P**er-
fecto odio oderam eos?

Non peccat. Nam irasci propter gloriam
Deī, & amorem iustitię, est uirtus, & quidem
peculiaris & excellens motus est in sanctis uiris,
inflammatis studio defendendę glorię **D**eī, aut
defendendę iustitię, aut ira aduersus impietate-
m & turpitudinem. **H**ic impetus placet **D**eō, si-
cut **D**hinees propter zelum promittitur sacerdo-
tium. **E**t 4. **R**egum laudatur **I**ehu, qui inquit, **V**i-
de zelum meum pro **D**omino. **E**t alibi dicitur,
Zelus domus tuę comedit me, id est, exarsi ma-
gno impetu defendendę domus **D**eī. **H**oc affectu
Helias, **H**eliseus occiderunt impios, & prophe-
tę maledicunt impijs, ut in psalmis apparet. **I**n
heroicis uiris est similis quidam impetus defen-
dendę iustitię, puniendę turpitudinis, tuendę
reipub. etc. **H**unc affectum philosophi uocarunt
Nemefin. **E**t quanquam talis ira est heroica, nec
simulari potest, sed est peculiare donum **D**eī, ta-
men **M**agistratus quantum fieri potest, talem ze-
lum, & talem iram imitari debet. **S**ed tunc pecca-

F 5 tum

tum est irasci, cum priuata cupiditate incitati irascimur, uidelicet, non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iustitiæ, aut odium turpitudinis, sed quia nobis commoda nostra eripiuntur, & interturbantur uoluptates. In talibus priuatis causis irasci, odisse alios, incendi cupiditate uindictæ, sunt peccata contra præceptum, **Diliges proximum sicut te ipsum. Et Christus Matthæi 5. refert ad hoc præceptum, Non occides. Item iubet inimicos diligere, & prohibet priuatam uindictam. Atque hic cauendum est, ne priuatis affectibus atq; odijs prætexatur species zeli, ut hypocritæ & tyranni sæpe faciunt. Postremo, in hoc præcepto considerentur comminationes & promissiones. Cominationes aliquas supra recesui. Homicidia haud dubie punit Deus, etiam corporalibus pœnis, sicut ait Christ. Qui gladium acceperit gladio peribit. Et de Abel dicitur, uox sanguinis fratris tui clamat ad me. Et contra proponamus nobis etiam promissiones, ut ad elementiam & cohibendam cupiditatem uindictæ nos inuitent. Christus inquit, beati mites quia possidebunt terram. Item, Remittite & remittetur uobis. Et ecclesiastici 28. Aduersus ulciscentem Deus exercebit uindictam, & peccata illius seruabit. Item, remitte proximo qui tibi non**

bi non

binocuit, & tunc deprecanti tibi remittentur peccata. **I**n primis autem in **R**epublica necessaria uirtus est cohibere cupiditatem uindictæ, quia ibi nisi interdum dissimulemus iniurias, existunt ingentes motus. **H**ic condonandæ sunt iniuriæ communi tranquillitati, sicut docet præceptum, **D**ilectio est uinculum integritatis, id est, ne dissoluatur **E**cclēsia. **V**alde laudatur **G**ræcum illud præceptum, μή μνηστικακείρ.

Quomodo fit hoc præceptū, & quomodo placet **D**eo, & fit cultus **D**eī?

Omnia præcepta referēda sunt ad primū, **N**am hoc sine omnia fieri debent, ut in ijs officijs **D**eo obediamus. **I**ta igitur fit hoc præceptum, cum prius fide statuimus, nos propter **C**hristum placere **D**eo, & postea incipimus obedire **D**eo in his præceptis. **T**imemus **D**eum, nec uolumus eum offendere. **I**deo abstinemus ab iniusta uolentia, repugnamus iracundiæ, reprimimus odium. **E**t hæc exercitia non sunt facilia. **I**deo pij in hoc certamine adiuuantur à spiritu sancto. **H**æc inchoata obedientia et si procul abest à perfectiōe, tamen propterea quia sumus in **C**hristo, placet **D**eo, sicut & psalm. concionatur pijs,